# MARCI ANTONII PARADISII CAPVRSINI

## ELEGIA

AD ILL.mum ET REVEREN.mum

## IVLIVM CAESAREM RICCARDVM

ARCHIEPISCOPVM BARENSEM



*ROMAE Apud Guglielmum Faciottum.*

Superiorum Permiſſu. 1594.

# ILL.^{mo} ET REVEREN.^{mo}

## IVLIO CAESARI RICCARDO

## ARCHIEPISCOPO BARENSI

*Marcus Antonius Paradiſius. S. P. D.*

OFFICII mei ratio,& res ipſa poſtulabat, RICCARDE AMPLISSIME, vt Tibi, tantum honoris gradum, iam diu Virtutibus Tuis debitum, conſecuto, ſtatim gratularer; ſed neſcio quomodo factum ſit, vt, dum diem ex die ad hoc praeſtandum expectabam, oblata ſcribendi occaſio auferri videretur. Poſſem equidem huiuſce rei cauſſam imbecillitati ingenij mei tribuere, ſed dabit mihi veniam humanitas Tua, vt id, quod ſentio, liberè dicam. Veneram in Vrbem Romam eo conſilio, vt intermiſsis aliquo temporis interuallo iucundiorum Muſarum ſtudijs, ad Philoſophiam, ac Naturae, rerumque cauſſas contemplandas animum appellerem meum. Intelligebam enim me Philoſophiae praeceptis, & rerum Mathematicarum facultate inſtructum in pangendis verſibus, caeteriſque rebus conſcribendis, quod ab ijs, qui in

hoc genere ita verſati ſunt, vt excellant, factitatum eſſe intelligebam, maiori eruditione, ac maiori cum laude poſſe verſari. Quo tempore, dum Diuino factum eſt conſilio, vt Tu à CLEMENTE OCTAVO PONTIFICE OPTIMO MAXIMO ARCHIEPISCOPVS BARENSIS creareris, uigebant in Romanis Gymnaſijs ſtudia: flagrabat ſapientiae amore animus: vrgebat conſilium: acceſsit tempus officij: nullum dabatur ſcribendi ocium. Itaque diu incertus quid facerem, ſic tandem conſtitui, vt quantum ab occupationibus meis impetrarem ocij, totum id Tuis Laudibus cohoneſtandis, darem. Nactus igitur aliquantulum temporis, dum à ſtudijs feriarer, hanc ſcripſi Elegiam, quam Tibi nuncupatam, Tuoque Clariſsimo Nomine ornatã edidi; vt omnes poſthac intelligant obſeruantiam in Te meam fuiſſe nõ vulgarem; quam ſi Tibi, vt ſpero, gratam fuiſſe intellexero, perficiam profectò, vt, quae nunc in manibus habeo, & temporis anguſtijs premuntur, non longo interiecto tempore abſoluantur. Vale, Teque Bario, Totique Barenſi Dioeceſi incolumem diù DEVS OPTIMVS MAXIMVS conſeruet. Romae. CIↃ. IↃ. XCIV. VI. Cal. Oct.

MAR-

# MARCI ANTONII PARADISII CAPVRSINI

## *ELEGIA*

## AD ILLVS[mum]. ET REVER[mum].
## IVLIVM CAESAREM RICCARDVM ARCHIEP. BARENSEM.

*DVM licet ambiguis abducere pectora curis,* Scribēdi occaſio.
*Ociaque Vrbanus grata miniſtrat Ager.*
*Naturae cauſſas, & prima exordia rerum* Philoſophiae naturalis, & libri de Coelo.
*Nouiſſe, & Coeli peruolitaſſe plagas*
*Sit modus hic: quae ſponte ſua, quae iuſſa vagentur* De ſtellis fixis, & errantibus.
*Sydera, qui pluuias colligat Aether aquas;* Auſter
*Qui res diſcordes concordi pace quieſcant,* De Elemētis 2. degē.
*Et qua iuncta ſimul ſint Elementa fide:*
*Qui vitro incluſus famuletur ſpiritus aſtris,* Res meteorologicae.
*Daedalea Siculus quem dedit arte Senex:*

*Quì tonitru roboet: quì fulmina torqueat äer,*
*Quì ferat & foetus herbida terra ſuos.*
Inter miſſæ Philoſophiae cauſſa. *Sed nunc his miſsis, Muſas repetamus amicas,*
*Atque è Pegaſeo fonte bibamus aquas.*
*Dum flaui Tyberis liquidas erramus ad vndas,*
Nouem Muſæ. *Quò ter terna ſolet ſaepe venire cohors.*
*Et nunc facta pij Clementis tollere ad Aſtra,*
*Qui nunc alta nouus ſydera fulcit Atlas.*
*Et nunc Purpureos Patres, ſanctumque ſenatum*
*Quem colit Eous, quem colit Heſperius;*
*Quorum conſilio Romana potentia creſcit,*
*Vt toto Victrix erigat Orbe caput;*
*Cygnaeas igitur voces imitata, canoris*
*Fac, Muſa, vt numeris Tybridis Antra ſonet.*
*Non tibi mulcenda eſt dulci Proſerpina cantu,*
*Quae Ditis Coniux pallida Regna tenet:*
*Non Canis eſt rurſus ſuperas ducendus ad auras,*
*Qui triplices linguas, oraque terna gerit:*
Nota eſt fabula de Venere. Iun. & Pall. *Non recines fictas Idaeo in Vertice Diuas,*
*Quae formam arbitrio ſuppoſuère Phrygis.*
*Sed ſi Parnaſsi cupias aſcendere culmen,*
*Sublimi vt ferias ſydera fronte Poli.*
*Mittantur Vanae, Priſcorum ſomnia, nugae,*
Graecia fabu. parens. *Vindicet iſta parens Graecia vana ſibi.*
*Eſt tibi magnanimus Riccardus ad aſtra ferēdus,*
Muſarum Maecenas Riccardus. *Dulce Decus ſacri, Praeſidiumque chori.*
*Magnus Muſarum cultor, doctaeque Mineruae,*
Poeta. Philoſ. orator. *Romani Princeps Maximus Eloquij.*

*Cui,*

Cui, dum nox vmbra terras obducit opaca, Fauſto ſyde re naſcitur Riccardus.
Et vaga praecipites Delia frœnat equos,
Vranie oſtendit felicia ſydera Coeli,
Atque ad magna acri mouit amore animum:
Vt non immeritò dicas requieſſe labellis
Dulce examen Apum dulcia mella ferens: Simile quid de aliqbus ſanctis viris legitur.
Quale ferunt puero quondam ſediſſe Platoni.
Qui fuit Argiui gloria prima Soli.
Lilia cui, violaſque, & purpureos Hyacinthos
Naſcenti manibus fudit amica Charis.
Cuius, cum dulcem captarent membra ſoporem,
Flauentes viſa eſt lambere flamma comas.
Ex hoc nimirum Tibi nomina, & omina IVLI, Alluſio ad nomen Iulii.
Albam Illi, Barum, quòd Tibi flamma dedit.
Barum, quod longè proſpectat in Oppida centum, Deſcriptio. & laus Barij.
Adriacoque poteſt ponere Iura Mari:
Sceptra vbi Parthenopes decorabant aurea Reges, Hoc teſtantur Hiſtorici.
Faſceſque Imperij Dextra ferebat Ouans:
Bacchus vbi Cereri certat, Cererique Minerua, Vini, frumẽti, olei, & rerũ omnium copia.
Atque vbi quiſque ſuo tempore floret Ager.
Quod geminae exornant tangẽtes Aethera Turres, Summi templi turres cãpanariae.
Aſſiduuſque, ſacro qui fluit oſſe, liquor. Sancti Nicolai Manna.
Quid memorem, quae Tu lateri fidiſsimus haerens
Principis Oſtriferi, quo Tybermus Ouat, Cardinalis Caetanus Legatus.
Geſsiſti pro lege Dei diſcrimina paſſus,
Alpina tranſis dum Iuga tecta niue?
Dum ſtricto res ferro agitur, furor impius ardet,
Ferreaque intorquet Spicula Erinnys atrox,

Gallos monet, vt ferãt omnia Chriſti cauſa.

*Conſilio, & pietate iuuas in rebus egenis,*
*Et, quae pro tali ſtet nece palma, mones:*
*Pro Chriſto dulce eſſe doces occumbere letho,*
*Vt ſpretis terrae ſordibus, aſtra petant:*

Piè ſe gerit in pauperes

*Lethiferos curas morbos, ſolaris & aegros,*
*Vinum huic, aſt illi eſt ſuppeditata Ceres.*

Precatur, vt ſit finis belli.

*Nunc numen ſupplex oras, vt fulmina ponat,*
*Vt furor, vtque habeant impia bella modum;*
*Atque tuum humectãs lachrymarũ flumine pectus,*
*Ad Superùm Regem talia dicta dabas:*
*O Qui primaeui cernens pro labe Parentis*
*Infelix Ditis Regna ſubire genus:*
*Virginis ex Vtero mortales induis artus,*
*Et Deus humanas vis ſubiiſſe vices,*
*Per ſpinas Te que, & clauos, & vincla precamur,*
*Quae Tu pro nobis paſſus ad vſque necem es;*
*Ipſe Patrem exora aeternum, potes omnia, Chriſte,*
*Deleat vt Populo crimina dira tuo:*
*Gallica tota madet ciuili ſanguine Tellus,*
*Ciuibus & Ciues turpia Bella mouent,*

Turcis, Parthis Rom. Eccl. hoſtibus tantum malum imprecatur.

*Vertatur magis in Parthos vis impia ferri,*
*Perſarum hac potius perfida Regna cadant:*
*In me tota ruant furibundi tela Gradiui,*
*Conuertantque enſes agmina ſaeua ſuos.*

Mori nõ recuſat, vt viuant Galli.

*O pietatis amor, cupit ipſe occumbere morti,*
*Hoſtilem vt vitet Gallia tota necem.*

Moyſes.

*Sic Dux Iſacidum ſaxoſi in vertice Montis*
*Orat, vt ipſe obeat, gens ſua ſoſpes eat.*

Non

*Non haec permiſit caecis latuiſſe ſub Antris*
*Gallia, nec Ventis diripienda dedit,*
*Sed certis commiſſa viris vulgauit in Orbem,*
*Audiuit Thule, Rhenus, Iberus, Arar.*

Res geſtae a Riccardo toto orbe celebres.

*Audiuit Ganges, liquidi trepida Oſtia Nili,*
*Notaque praecipuè ſunt, Tyberine, tibi.*
*Quod cum cognouit Clemens, cui Rector Olympi*
*Iura ſuperque Erebũ, iuraque in Aſtra dedit,*
*Te iubet acciri, meritos decernit honores,*

A Clemẽte octauo Archiepiſcop° Barẽſis creatur.

*Caeſaris vt cingat gemmea Mitra Comas.*
*Plauſerunt ſeptem Colles, & Moenia, Tybris*
*Currentem Hetruſco littore flexit aquam.*

Roma gaũdet dignitate Ricc. collata.

*Vrbs quoque Te gremio laetiſsima noſtra recepit,*

Barũ ingrẽditur.

*Agnouit Dominum ſedula Serua ſuum.*
*Carceris obſcuri Tu ferrea Clauſtra recludis,*
*Et Reus incluſus Carcere ſenſit opem:*

Liberantur vincti Ric. aduentu.

*Praeſcribis ſacras leges, ſeruandaque Iura,*
*Ne ſtringant ſacri flaminis arma manus:*

Vetat Sacerdotes induere arma.

*Integer vt viuat chara cum Coniuge Coniux,*
*Neu petat Hippolytum blanda Nouerca ſuum,*
*Neue Helenen pulcher deducat Adulter Amyclis,*
*Phoebus in Aeacidae nè regat arma latus:*
*Nè Regis Proles alienas permeet Aedes,*
*Et tentet caſtum commaculare torum.*

Haec de Hipp. Helẽ. Pari. phaeb. Tarqui. inſerũtur modeſtè, vt oſtẽdatur. ſcelera fuiſſe ſeueris legib° prohibita.

*Ritè ſacerdotes ſacris aſsiſtere rebus,*
*Et Superis feſtos concelebrare dies:*
*Tum certis horis Coeleſtes dicere laudes,*
*Cum ſacra pulſa ſonos, concauaque aera dabũt;*

*Compoſiti*

*Compoſiti mores, demiſſa eſt veſtis ad imum,*
*Secernitque color quemque, Chlamyſque ſua.*

Superiora, & quae ſequũtur commoda Ricc. accepta referuntur.

*Felicem aetatem, Saturnia ſaecla redibunt,*
*Sponte ſua tellus dulcia poma feret.*
*Pro Spinis flores vernanti in limite fundet,*
*Impones capiti quos bona Chlori tuo.*

Securitas, & ocium.

*Libera permittent errare armenta Moloſsi,*
*Inflabit calamos Daphnis ad antra leues.*

Vell⁹ aureũ

*Nullus erit, pecori qui pinguia vellera vellat,*
*Si vel ad haec phryxi littora adiret ouis.*

Fauet ingenijs Ricc.

*Prouida nunc Virtus tandem reuocata redibit,*
*Tempore quae latuit longo habitura locum.*

Hoc in eos dicitur, qui cum per ſe honores cõſequi non poſſunt, ad potentiorũ opem confugiunt.

*Non opus, vt Veneris commendet Epiſtola Marti,*
*Et quòd praeuideas ſcripta rogande prior,*
*Omnia nunc verè trutina librantur in aequa,*
*Seu diues Croeſus, ſiue eris Irus inops.*

Gloriã ſuã propagat Ricc.

*Caeſares herbiferae reſonabunt nomine Valles,*
*Et nomen reddent concaua ſaxa tuum.*
*Flumina Caſtaliae, Pindum ſuperabis, & Haemũ,*
*Diceriſque aſtris inſeruiſſe caput.*

Immortalitatem beneficio Poetarum aſſequetur.

*Fatidici chartis mandant aeterna Poetae,*
*Non viſura Rogos carmina culta canunt.*
*Semiſepulta foret tenebris Aeneïa virtus,*
*Geſtantique Patrem flamma negaſſet iter;*

Probatur exemplis.

*Si non Carminibus celebraſſet Muſa Maronis,*
*Si non exſtaret grande Maronis opus.*
*Quid foret Atrides magnorum Ductor Achiuũ:*
*Herculeus toto quid foret orbe labor?*

Quis

Quis prolem noſſet pulchram patientis Vlyſsi,
Laertemque ſenem, Penelopenque piam?
Si non mandaſſet chartis facundus Homerus,
Et decantaſſet fortia facta Ducum?
Plura mihi dicenda forent; tamen omnia linquam,
Omnia nam; partem qui bene dixit, habet.

Dimidium facti, qui caepit habet Hor. in Ep.

Quid dicam Fratres, quorum ſpectatur in Orbe
Virtus, & maior queis quoque creſcit honos?

Tres Ricc. fratres laudantur.

Quos non blanda Venus flexit, non munera Craſsi,
Non quodcunque tenet Diuitis vnda Tagi.

Iuſtitiae adminiſtratores iuſtiſſimi.

Ille aetate minor magno dat iura Salerno,
Parthenope eſt Fabio facta ſuperba ſuo.

Quia ſibi vindicat.

Cuique ſuum tribuunt, queis Virgo ſuſtinet aequas
Lances, & gladium Dextera fortis habet.

Iuſtitiae ſimulachrum

An memorem Fratrem Mitra, Sceptroque decorũ,
Cui ſemper prudens Pallas amica fuit?

Epiſcopus Sueſſanus.

Cui graue conſilium, & pudor eſt, pectuſque Virile,
Iuſtitia, atque fides, quae ſine labe nitet?

Quatuor virtutes, quae dicũtur Cardinales.

In quem ſi Stygij iurarent agmina Regni,
Agminibuſque Atrox iuncta Chimaera foret:
Ipſe immotus erit, ſcopulus ceu prominet altus,
Quem crebris pulſat flatibus vſque Notus.

Vir cõſtans ſcopulo comparatur.

Sic geminis Mitris, geminoque effulget honore
Gens Tua perſpicuis nobilitata Viris.

Epilogus.

Vade igitur ſubmiſſa, Virum pete ſera Thalia,
Excuſa ſeras officioſa moras.

Conuerſio ad muſam.

Signa vagi, dices, bis Sol percurrerat Anni;
Et totidem niueis Cynthia clara rotis.

Cum

# ELEGIA M. ANT. PAR.

*Cum mihi iuſſa dedit Celſos penetrare Penates,*
*Sed dubia eſt longam cura morata viam;*
*Sera fui, Tres ſera neant Tibi fila Sorores,*
*Neſtoreoſque annos Maxime Caeſar agas.*
*Et ſerus repetens ſtellantis limen Olympi,*
*Puppis Iapygiae vela ſecunda regas,*
*His tamen extremis claudes verba vltima dictis,*
*Caeſaris vt fueris deuenerata genu.*
*Viue, Valeque memor noſtri, Tibi tempora vt ornet;*
*Vellera nam tingit bis madefacta Tyros.*

Vitam Riccardo longaeuam Muſa precatur.

**F I N I S.**

[library stamp]